

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus

### Caput 17: De laude superne felicitatis et premio eterno (9)

Gregorius:

Fercula illa supercelestia sanitatem infundunt, corruptionem non adducunt, semper reficiunt et nunquam deficiunt, perseverant incorrupta, ad refectionem manent integra.

Et ideo ibi vita sine morte, requies sine labore, salus sine egritudine, lux sine nube, dies sine nocte,

pax sine fine, ad quam ipse dei filius nos perducatur.

Sicut enim oculus rerum specie sine coinquinatione pascitur, et sicut auris uocum suauitate sine corruptione delectatur, sic sunt gaudia illa eterna: suauitatem infundunt et corruptionem non adducunt. Semper reficiunt et nunquam deficiunt. Pascunt et perseuerant integra, ad fruendum se exhibent et permanent incorrupta.

Hugo de sancto Victore, *Pro assumptione Virginis* (P. Sicard ed., *L'œuvres de Hugues de Saint-Victor*, vol.2, p.146).

Ibi bonum naturaliter homini inditum, sed temeritatis uicio corruptum in melius reparabitur, intellectus scilicet sine errore, memoria sine obliuione, amor sine mutabilitate, ← cogitatio stabilis et munda, caritas insimulata, sensus sine offensione, requies sine labore, salus sine dolore, lux sine nube, dies sine nocte, → uita sine morte, saturitas sine fastidio, uoluntatis libertas absque scandalo, status aeternitatis sine defectu mutabilitatis.

Anonymus, *Speculum uirginum*, 1 (CCCM 5, J. Seyfarth ed., p.37, ll.933-940).

[fons nondum repertus]